



PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATI-
CARUM LIB. XII. IN
4. elementorum.



VARTUS liber habet de inscriptione & circumscriptione definitiones septem, propositiones sexdecim: Inscriptio autem & circumscriptio est generalis & communis etiam corporum, ut intelligatur postremis elementorum libris: Itaque generaliter & semel definienda fuit. Termini verò appellantur 13 d i unus aut multi quibus figura terminatur: tota verò adscriptio per latera aut angulos expeditur: in rectilineis termini latera sunt, in circulo terminus est peripheria pro lateribus omnibus. Sed hoc in singulis definitionibus melius intelligetur.

1.2.d Duæ primæ definitiones, si quod in geometria tamen proprium documentum haberent, ante librum tertium statuendæ fuerunt, ubi de rectilineis agitur, non postponendæ circulari geometriæ, quandoquidem de circulo nihil hæ definitiones præcipiunt, imò de his nihil est in quarto libro. Atque hic vides inscriptionem definiri rectilinei inscripti angulis tangentibus latera circumscripti contra circumscriptionem circumscripti lateribus tangentibus angulos inscripti, satisque ideo fuisse definiri solam vel inscriptionem vel circumscriptionem, cum ex altera intelligatur altera, tum verò definitiones hæ videntur homogenea tantum adscribere, triangula nempe triangulis, quadrangula quadrangulis, multangula multangulis homogeneis, quia singuli termini singulis non responderent, attamen e 1 & 2 p 1 s intelliges heterogenea inter se adscribi, ut tetrahedrum cubo, octahedrum tetrahedro & cubo, cubumque octahedro, & icosaedro dodecahedrum, quæ sunt heterogenea, ac tum intelligetur à singulis angulis tangi singulos terminos, sed extremos, quomodo & in planis possit accidere: ut hic vides: neq; tamè omnibus id accidet. Nec enim triangulū potest inscribi septangulo, octangulo, aut polygono majori: & quæri possit utrum Hypsiclis geometria satis Euclidea sit.



3.4.5.6 d Quatuor verò proximæ definitiones materiam habent quarti libri propriam, & mirabilem tautologiam habent, magisque apertam quam duæ superiores. Peripheria (ut dixi) est pro lateribus & angulis. Itaque in his quatuor definitionibus, quater appellatur, in tertia & quarta, quod anguli, quod latera tangant peri-